NOBILISSIMO ATQVE AMPLISSIMO VIRO D. DOMINO DIONYSIO DV MESNIL, IN SVPREMA SENATVS PARISIENSIS CVRIA CONSILIARIO, ET INQVISITIONVM PRÆSIDI ÆQVISSIMO,

S. D.V. HYERAVLME.

CVM hæc theoremata foràs eminerent (Præses amplissimé) *ad te vel vltrò properare mihi visa sunt; id postulante tua dignitate & meo officio, quorum alterum efficit, vt id velim, alterum vt debeam: vt velim, is enim es, quem omnes suspiciunt & de cuius virtute, integritate, humanitate ita omnes commemorant, vt vnus absolutissimæ iustitiæ numeros impleuisse videaris, tantúmque alijs magnitudine meritorum antecellere, quàntum exuperas singulos fastigio dignitatis: vt debeam, enimuerò putaui esse officij mei, occasione datâ, tibi relinquere meæ erga te obseruantiæ perpetuum aliquod monimentum. Itaque si tibi graue non est* (Præses integerrime) *sub auspicijs tui nominis in arenam descendam, et pugnabo, eâ tamen officij lege & obligationis, vt si è prælio victor euadam, spolia tuis sim aris appensurus.* Vale.

QVAESTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVI. MARTII M. PETRO PIIART, DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An in δυστοκίᾳ, ὑστεροτομία?



Trerum salubrium excretio, sic insalubrium retentio à morbo est, non à natura. Nascitur illa ab impotentia caloris natiui cœlestis non ignei. Hanc parit στέγνωσις, quæ vel est obstructio vt in asthmate à crudo tuberculo lethali, vel compressio vt in apoplexia sanguinea, vel coalitus vt in cranio ἀῤῥάφῳ funestissimorum morborum parente, vel subsidentia vt in puerulis quibus cutis meatus non persistunt.



Tέγνωσις vbi contumax est neque cedit medicamentis, ferro sæpè curanda venit, secando potiùs quàm vrendo: secantur partes duræ molles sed non ab ijsdem ferramentis. Dura vt calua etiam circa suturas modiolo foratur, raditur scalpro, serrâ & limâ domatur. Mollis forcipibus in eccope, scalpello in aplotomia inciditur, quæ locū habet in phlebotomia, abcessuum & vomicarum apertione, vteri sub epigastrio diuisione ad extrahendum fœtum in difficillimo partu.



ARTVM dicimus exclusionem esse perfecti fœtus ex pari eius ac vteri contentione. Is nonnunquam præuertitur in ἐκρύσει καὶ ἐκτρώσει à quauis intemperie, promouetur non diuulsione ossium pubis & ilium fictâ, sed viarum libertate, tardatur στεγνώσει, quæ contumacior reddita matrem & fœtum in discrimen vitæ vocat. Frustrà suspendas è crure ætitem, frustrà vterum sollicites odoribus, nares fœtidis, frustra obstetrix os vteri digito lacessat aut laceret & malacticis temperet.



VID ita? grandior fœtus os vteri naturâ angustum an subibit? sanè non potiùs quàm grandior renum aut vesicæ calculus vreteres vrethrámue nephrotomiâ solâ aut lithotomiâ educendus. Compressum duro tumore aut inflammatione insigni diu si attrectes, nōne conuulsionem, syncopen, aut mortem procurabis? si eius summi parietes cicatrice callóue cohæserint, num dioptrâ vel syringotomo vulnerabis partes iam longâ conflictatione vexatas? obstructum si fuerit tumore schirroso & χοιράδει, si angustiorem sinum cōtracta depressa aut introrsum protuberantia ossa pubis & sacrum effecerint, siccine ad forcipes & ad vncos periculo vitæ alterutrius vel vtriúsque certissimo festinabis?



VTIVS est in sectione Cæsarea præsidium, tumens ex fœtu epigastrium quà à rectis declinantes musculi obliqui & transuersi sibi ipsis occursant, & propè decussatim exporriguntur, circa medias eorum partes ab vmbilico rectà versus alterutrius lateris pectinem (nisi bubonocele molestet, quæ sectionem eiusdem lateris suadet) simplici sectione nouaculâ inciditur, vnà cum peritonæo, dein emicans vterus eodem ferro cautè diuiditur, vndè eximitur fœtus nullo certo periculi metu ab hæmorrhagiâ, spermaticarum partium diuisione, magnitudine vulneris, doloris vehementiâ, curationis difficultate: vterus enim sponte, nullâ adhibitâ suturâ citò sanescit illæsâ concipiendi facultate, epigastrij plaga per gastroraphiam adductâ, vt alia vulnera citiùs quàm speres, curatur.

Ergo in δυστοκίᾳ ὑστεροτομία.

45

Propugnabat VALENTINVS HYERAVLME Parisinus Anno R. S. H. M. DC. XX.